ſtantiarum in natura cæterarum ſingulæ eò meliores dicuntur, quo homini (in ſuo quæq; genere. quid enim abſolutè ei utiliſsimum ſit, dictu difficile eſt) utilior fuerit. Homines autem tantò meliores, quãto ſimiliores Deo: hoc eſt quo magis uirtutibus eminuerint. Iam cum uirtus proprium hominis officiũ ſit, qui uirtute excellit, nobilis eſt dicendus, & inſuper generoſus qui ab honeſtis progenitorum inſtitutis nõ receſſerit: nobilior generoſiorq;, ſi etiam auxerit. Deniq; nobiliſſimus, ſi non illis modo uirtutibus, quæ in conſpectu publico & actione uerſantur, iuſtitia, prudentia, temperantia, fortitudine: ſed altioribus etiam atq; interioribus, quæ in doctrina & contemplatione rerum cum naturalium tum diuinarum abduntur, excelluerit. Porrò hunc bonorum aceruum, uir undequaq; ornatiſsime, idcirco hîc tibi recenſeo, quoniam in te illum à Domino Deo inter pauciſsimos mortaliũ cumulatiſsimè collatum eſſe intelligo. Tu nobilitatẽ à clariſsimis parentibus adeptus, ita uirtutibus tuis, pietate, humanitate, ac cęteris adauxiſti, ut uerè nobilis & ſummum tuæ familiæ decus prædiceris. Tu doctrina & ſapientia tum in iuris ac legum totiusq; rerum publicarũ adminiſtrationis, tum aliarũ liberalium ſciẽtiarum diſciplina adeò profeciſti, ut meritò exẽplar ad idẽ faſtigium tendentibus proponi debeas. Tu linguarum notitiam non modo Latinæ & Græcæ tuis ſtudijs, ſed peregrinationibus etiam uulgarium Italiæ Hiſpaniæq;, ut fama eſt, feliciſſime tibi comparaſti. Hæc omnia in te poſita Dei dona cum animaduerterent potẽtiſsimi reges Ferdinandus Romanorum, & Maximilianus filius Bohemiæ, in ampliſsimum conſiliariorum ſuorum ordinem te adlegerũt. Quamobrem & propter tot tantaq; diuina in te beneficia ex animo tibi gratulor, & inter cliẽtes tuos adnumerari uehementer cupio. quod quidem me facilius conſequuturum ſi aliquod mei erga te amoris ac uenerationis ſpecimen exhiberem, mihi perſuaſi. Offero itaq; Excellentiæ tuæ & dedico hanc Bibliothecæ noſtræ Appendicem, quam tibi uiro ut literatiſsimo ita maximè philobiblo non ingratam fore ſpero. Fuit ſanè præcipuum mihi huius nuncupationis conſilium, ut quanti te facerem quantumq; obſeruarem, ex hoc qualicunq; teſtimonio cõijceres. deinde ut uetuſtiſsimos aliquot libros (quos conquirendi ſtudio tantopere flagras) ad hæc legenda aliquando digreſſus, ubi latitarent cognoſceres, & ſi qua fieri poſſet in lucem erueres: quod ut famæ tuæ perpetuò honeſtum ac glorioſum, ita ſtudioſis literarum omnibus, quos tu propenſiſsimè amas ac foues, longè iucundiſsimum utiliſsimumq; futurum eſſet. Vale.

Dedicatio.

Tiguri Heluetiorum, Nonis Martij, anno Salutis M. D. LV.